



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Cap. 4. Proponitur secundum argumentum contra hanc Genealogiam ductum à dissonantiâ Evangelistarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

dum potuisset habens Patrum votere perpetuam virginitatem, vovit tamen fatente etiam Bollando: Nulla ergo talis lex.

XXX. Denique non etiam potuit justè ex hâc suâ assertionem P. Bollandus moveri ut de majore D. Josephi earentis cœlibis ætate opinionem jam obsoletam & ab omnibus rectè sentientibus nobiscum part. 2. tract. 1. c. 14. sect. 2. explosam resuscitet, quo videtur per hanc assertionem respexisse: Etsi enim ex eâ sequeretur aliqua ætas major eâ quàm ei loco citato assignamus, non tanta tamen quanta credita est ab antiquitate ut per illam, ipsius cum Beatâ Virgine conjunctio maritalis poneretur extra suspicionem quamcumque incontinentiæ, aliàs in vulgi animos facile descensuram, quia ut alias rationes omittam ex ipso P. Bollandus in ipsius verbis adductis supra num. 2. eo animo nuptias cum Virgine celebravit, ut nunquam ad conjunctionem carnalem procederent, nisi expressius juberet Deus, ergo eâ ætate nupsit in quâ adhuc poterat procedere ad conjunctionem carnalem; non ergo eâ ætas potuit ipsius nuptias ponere extra suspicionem quamcumque incontinentiæ, nec tam effectus D. Josephus ut crediderunt aliqui antiqui & etiam representarunt Pictores fictores æquè ac Poëtæ.

XXXI. Erverò si tantam ætatem habuisset D. Josephus cum nuptias celebravit, ut ipsius conjunctionem cum Virgine omnino poneret apud vulgus extra suspicionem cujuscumque incontinentiæ aliàs in ejus animos facile descensuram, quomodo potuisset tunc nubere, aut quis tulisset nuptias cum tam clara ineptitudine? accedit quod si ætas D. Josephi dum nupsit tanta fuit ut ipsius conjunctionem cum Virgine omnino poneret extra suspicionem cujuscumque incontinentiæ aliàs in vulgi animos facile descensuram, quod cum postea Virgo visa est concepisse & parere, merito apud vulgus suspecta fuisset de adulterio & filius ejus spurcius, cum tamen ideò de deponata nasci voluerit, ne putaretur conceptus ex adulterio.

CAPUT IV.

Proponitur secundum argumentum contra hanc Genealogiam ductum à dissonantia Evangelistarum.

DISSENTIRE Matthæum à Lucâ in Genealogiâ hâc Divi Josephi & quidem non in uno puncto, sed in pluribus nihil putant clarius Judæi, Ethnici, & Heterodoxi. Primò, namque Matthæus asserit Patrem immediatum D. Josephi fuisse Jacob; ait enim, *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ de qua natus est IESVS*: Lucas autem scribit fuisse Heli. *Erat IESVS incipiens quasi annorum triginta, & putabatur Filius Joseph qui fuit Heli*. Secundò, Matthæus Progenitores D. Josephi omnes usque ad David refert omnino diversos ab illis quos refert Lucas. Tertio, Matthæus à Davide usque ad Joseph numerat tantum viginti septem aut viginti octo seu bis quatuordecim generationes, Lucas verò quadraginta tres. Denique Matthæus Salathielem qui genuit Zorobabel facit filium Jechoniæ, Lucas verò filium Neri: quæ omnia sunt legenti perspicua. At in illis manifestissima est diversitas, ergo & falsitas. Et hic est unus ex præcipuis arquetibus, quibus adversarii qui supra, Judæi scilicet, Ethnici, & Manichæi non solum Genealogiam, sed & Evangelium totum, & ipsum Christum impetierunt.

Quare hic apud D. Augustinum tomo 10. serm. 63. de diversis c. 4. ita insulant. *Quidquid velis dicas, nos deprehendimus, ubi legitis natum Christum dissonare inter se Evangelia, & non posse utrumque verum esse quod dissonat. Cùm enim ostendero, inquit, dissonantiam rectè improbo fidem. Aut tu qui accipis fidem, ostendere concordiam. Et Faustus in particulari apud eundem D. Augustinum, lib. 3. contra ipsum c. 1. Equidem conatus sum hoc ipsum qualecumque est persuadere mihi, quia sit natus Deus, sed offensus duorum maximè Evangelistarum dissonantia, qui Genealogiam ejus scribunt,*

Lucâ

Lucæ & Matthæi, hæc incertus quemnam, potissimum sequeretur: fieri enim posse putabam, ut quia præcius non sum, quem metiri existimarem, ipse diceret verum, & quem vera loqui, ipse forsitan mentiretur. Infinita ergo eorum prætermissa lite, & interminabili mihi, ad Iohannem Marcumq; me contuli, nec impariter à duobus ad duos, ab Evangelistis ad ejsdem nominis professores, quorum mihi principia interim non immerito placuerunt, quia nec David nec Mariam inducant, nec Ioseph; sed Iohannes quidem in principio fuisse verbum, Christum significans: Marcus verò Evangelium inquit IESV Christi Filii Dei, tanquam Matthæum exprobrans, qui posuerit Filium David. Nisi forte alterum hic, & alterum ille annuntiavit IESVM. Hæc ergo ratio est quæ non accipio Christum natum: Tu verò si tantus es, ut hanc mihi adimas offensionem, effice ut inter se conveniant. Hæc Faustus infaustus Augustino. Cui sic Augustinus ibidem c. 3. meliori, ac sublimiori cothurno. Frustra Faustus se voluit ad duos Evangelistas conferre, & ab aliis duobus auferre, magis offensurus ad quos se contulisset, quam eos à quibus abstulisset. Non enim amant sancti suos Electores, si suorum sociorum eos invenerint desertores, unitate enim gaudent, & in Christo unum sunt, & si alius aliud, aut alius aliter, & alius aliter, vera tamen omnes dicunt, nec sibi ullo modo contraria, si pius Lector accedat, si miris legat, si non heretico animo unde rixetur, sed fidei corde nude edificetur inquirat.

SECTIO PRIMA.

Referuntur aliquot ad hoc argumentum Responsiones, & refutantur.

I. AD argumentum in capite propositum respondent aliqui quod Iacob qui apud Matthæum dicitur genuisse Ioseph, & Heli apud Lucam, cuius filius dicitur idem Ioseph, non sint duo homines distincti, sed unus & idem qui duobus illis nominibus appellabatur. Quibus si opponas cum Augustino lib. 2. quæst. Evangelicar. quæst. 5. ut istud esset, deberent, Iacob & Heli habere eundem Patrem, Avum, Abavum,

Proavum, Atavum, Tritavum, cæterosque majores, cujus contrarium constat ex utraque Genealogiâ: respondent totam seriem Progenitorum à Davide usque ad Iosephum esse unicam apud utrumque Evangelistam, qui diversis quoque nuncupabantur nominibus, & ab uno Evangelistarum referri sub uno nomine ab alio sub altero. Ita nonnulli apud D. Thomam Aquinatem in c. 3. Lucæ & D. Augustinum jam citatum.

Refutatur hæc responsio, primò, II, quia deberent probare illos omnes Divi Iosephi Progenitores duobus istis nominibus appellatos quod non faciunt, nec unquam faciunt, nec ullo modo probabile est. Secundò, cur quæso Lucas qui scripsit suum Evangelium post Matthæum tam anxie cavisset D. Iosephi Progenitores sub iisdem nominibus referre cum Matthæo. Tertio, non animadvertit hæc sententia quod ubi in utraq; Genealogiâ incipit diversitas nominum, ibi etiam manifestè incipiat diversitas personarum. Nam Matthæus à Davide descendit ad Salomonem, Lucas verò ab eodem Davide ad Nathan, ibi incipit diversitas nominum. At hi duo, Salomon & Nathan, sunt duo homines distincti, ut manifestè constat ex Scripturâ 1. Paralipomen. c. 3. v. 5. ubi dicitur, Porro in Ierusalem nati sunt Davidi filii Sammaa, & Sobab, & Nathan & Salomon quatuor ex Bersabée filiâ Ammiel. Cum ergo Matthæus recenseat descendentes ex Davide per Salomonem, Lucas verò per Nathan, qui diversus est à Salomone, manifestum evadit ex diversis illis personis diversas debere profluere generationes. Et certè cum Mathata apud Lucam dicatur expressè filius Nathan, Nathan autem non sit Salomon, consecutarium est ut nec Mathata sit filius Salomonis: similiter cum Roboam apud Matthæum dicatur genitus à Salomone, Salomon autem non sit Nathan, eadem impossibilitate impossibile est ut Roboam sit filius Nathan, ac consequenter impossibile est ut Roboam ille qui apud Matthæum, sit Mathata qui apud Lucam, & sicut in his duobus, ita in cæteris consecutivè Progenitoribus argumentandum. Quarto, quia ad hoc

hoc ut essent iidem reapse Progenitores D. Iosephi, apud utrumque Evangelistam solo nomine diversi, deberent esse utrobique numero pares, ut constat, cum ergo hoc minimè sit, ut patet ex supputatione, falsum est consequenter esse eosdem apud utrumque: ita D. Augustinus lib. 2. quæst. Evangelicar. quæst. 5.

III. Respondent secundò alii ad hoc primum argumentum, maximè quidam Eusebius apud D. Thom. Aquin. in c. 3. Lucæ, Matthæum referre Progenitores D. Iosephi qui verè erant tales, Lucam verò illos qui putabantur tales & non erant: & sic nulla est contrarietas. *Si enim*, inquit ille Eusebius, *ibi approbante Mattheo Ioseph esse filium Jacob, Lucas similiter approbasset Ioseph esse filium Heli, esset aliqua controversia: Ceterum cum approbante Mattheo, Lucas plurimum opinionem declaraverit, non propriam, dicens ut putabatur, non arbitror aliquid relinqui dubium, & hunc quidem non improbat D. Thomas, utpote suis probandis quàm alienis improbandis paratior.*

IV. Verùm nec placet hæc responsio, primò, quia sibi omnem præcludit viam respondendi ad primum argumentum contra hanc Genealogiam, cui respondimus capite præcedenti, dumque hunc scopulum evadere nititur, relabitur in præcedentem: si enim ut Matthæus à scopo non aberrasse dicatur, sed verè probasse Christi secundum carnem ex Tribu Judæ per Davidem descensum, debet necessariò supponi fuisse omnibus perspectum Beatam Virginem & Divum Iosephum fuisse sanguine proximè conjunctos per lineam paternam, & eodem paterno Avò aut Abavo prodiisse: Certè si admittimus Lucam in suâ Genealogiâ non veros, sed tantùm putatos à Judæis D. Iosephi Progenitores recensuisse, ruit ista suppositio, ac proinde sequitur & Matthæum à proposito sibi scopo aberrasse, & nihil certi ex Evangelio depromi posse de Christi ex Abraham & Davide descensu, quod intendebant Judæi, Ethnici, & Manichæi Hæretici in primo argumento. Secundò, non potest esse vera ista responsio, quia adhuc manifestè pugnat cum Textu ipso Lucæ, in quo ta-

men quærit fulcrum: Nam Lucas expressè quidè ait de Iesu quod putabatur à Judæis filius Ioseph, sed nullo modo illud *putabatur* extendit ad Iosephi Patrem & Progenitores, quin è contra, nam in Iosepho mutans styllum expressè de illo affirmando quod fuerit Heli, de Heli quod fuerit Mathat, & sic de cæteris ascendendo. Tandem quo fundamento credi poterit Lucam voluisse se fatigare, ut tam operosè putatios tantùm Christi Progenitores referret, atque eo usque ut ad Adam & ipsum Deum laborem istum extenderet.

Respondent tertio alii ad hoc secundum argumentum, Matthæum referre Iosephi Genealogiam, Lucam verò Christi Domini: qui idcirco volunt quod iste Heli qui in imo Genealogiæ secundum Lucam legitur, sit Pater D. Virginis & Avus Christi, quodque fuerit binonimis, & alio sit nomine vocatus Iehoiachim, pro quo nos dicimus *Ioachim*. Nam *Heli* per Apocopen, idem est quod *Heliachim* seu *Eliachim*, & *Eliachim* idem significat quod *Iehoiachim* seu *Ioachim*, ut patet ex lib. Iudith c. 4. v. 5. 7. & 11. ubi Pontifex Iudæorum vocatur *Eliachim*, cap. verò 15. v. 9. vocatur *Ioachim* sive *Ioachim*, & 4. Reg. c. 23. vers. 34. Pharao Neco Rex Ægypti nomen *Eliachim* vertit in *Ioachim*, & Philo Iudæus in Breviario Temporum, *Sunt*, inquit, *Synonima Syris & Ægyptiis Eli, Eliachim, Ioachim, quibus nominibus donatus est Ioas, &c.* Cum ergo invaluisse ut unus & idem homo qui *Heli* dicebatur, etiam *Ioachim* dici posset, non mirum videri debet, si dicatur per Heli qui in imo Genealogiæ Lucæ, intelligi *Ioachim* Patrem D. Virginis.

VI. Quare Cornelius Jansenius Gandavensis in Concord. cap. 39. in hæc verba, *Et cum dies factus esset vocavit ad se quos voluit ipse Apostolos.* Reddens rationem cur Sanctus Judas Apostolus dictus sit Thadæus & Lebæus ait: *Hujus diversa nomenclatura quidam assignant hanc rationem admodum verisimilem: constitutum scilicet fuisse apud Iudæos, quod & hodie apud eos observatur ob reverentiam nominis Tetragrammati IEHOVAH. Et si quis in suo nomine proprio tres vel quatuor*

quatuor litteras ejus nominis possideat, non temerè eodem nomine à quoquam nominaretur, præsertim in familiaribus & quotidianis colloquiis, sed alio quodam factitio, quod vel idem cum proprio significat, vel certè proprium insigni aliqua notatione insinuet. Hinc si quis apud eos nomen IEHVDAS pro quo nos dicimus Iudas sortitus est, vulgò appellari solet Leo, quia Genesis cap. 49. scriptum est *Catulus leonis Iuda: & cum qui dicitur IEHOLACHIM, pro quo nos dicimus ioachim (quod nomen significat extollendum) vulgò vocant Heli, idest altum* Hæc Gandavenfis Jansenius in hujus sententiæ confirmationem.

VII. Probant idem 2.^o ex Rabbeno quem Judæi Rabbi Hacados (quod est Magister Sanctus) vocant, qui in libro cui titulus est *Revelator secretorum*, hæc habet: *Quod autè peristi cujus esset filia mater Messie, ex quæve Tribu: animadvertere debes parentem ejus duplex habiturum nomen, unum Heli, alterum Iehojachim: & Heli quidem, quod est derivativum, ostendit eum ad sublimem gradum ascensurum: Iehojachim verò quod est nomen compositum, significat Deum in manu ejus suscitaturum salvationem Israël maximam.* Et ex Rabbi Hacana qui in epist. de generat. Messie hæc profert. *Erit quædam puella in Bethleem Jude nomine Maria filia Iehojachim Heli de genere Zorobabelis filii Salathielis ex Tribu Iuda.*

VIII. Ad hanc quoque sententiam facit quod docent alii, scilicet illud qui fuit Heli apud Lucam non referre D. Josephum, sed JESUM, quod duobus modis posse obtineri, vel dicendo verba illa, *Ut putabatur filius Joseph*, facere parentthesim, seu claudendâ parenthesi; quibus proindè remotis manebit hic sensus, *Et erat JESUS incipiens quasi annorum triginta qui fuit Heli.* Secundo modo melius & aptius textum illum interpretando cum nostro Thoma Beauxamis tomo I. in Evang. hoc modo Jesus putabatur filius Joseph, qui tamen fuit Heli sive Joachim. Si enim Pater Jesu in terris assignatus est cum non habuerit parentem à quo immediatè genitus sit, qualem putabant Judæi Josephum, ad Avum ejus seu Patrem Matris ejus procedendum est qui fuit Heli sive Joachim, tanquam illum

quem habuit Patrem in terris omnium proximiorum: hæcque suam interpretationem subtiliter satis confirmat noster Beauxamis: nam aliàs frustra Lucas videretur istud tetigisse, quod scilicet Christus putabatur filius Joseph, nisi adjecisset cujus filius erat.

Cùm ergò juxta hanc opinionem IX. Matthæus D. Josephi Parentes referat, Lucas verò Parentes Christi Domini, & Beatæ Virginis Matris ejus, cessat omnis difficultas; & dissidium quod inter utramque Evangelistam fingeatur, evanescit. Quid enim mirum quod duorum qui in uno stipite communi valde remoto conveniunt diversi sint Patres, diversi itque numero impares intermedii Progenitores? Hæc sententia ideò pluribus arrisit aliquando quod non tantum conciliet Evangelistas inter se, sed etiam eo quod ostendat directè deductum per Lucam Christi ex Davide & Abrahamo descensum.

Verùm & hæc meritò rejicitur & refutatur primò quoad hoc quod asserit X. Heli qui apud Lucam fuisse Patrem Beatæ Virginis & Avum Christi Domini altero nomine dictum Joachim, ex eo quod nullum producant ex antiquis tam extraordinariæ assertiois testem fide dignum? Nam quoad revelationes Rabbiorum apud Christianos ut plurimum non plus habent roboris quam somnia delirantium. Et verò hoc, nullo modo esse verisimile inde efficitur, quod nemo ex Sanctis Patribus hujus duplicis nominis ullam unquam fecerit mentionem: & si hoc esset verum, quare Ecclesia in suis libris Martyrologio, Calendariis & officiis eum non hoc nomine quod ex hypothesis gestavit, & legit in Evangelio, compellavit, sed semper & ubique nomine Joachim?

Secundò, nec verisimile est illud mysterium de commutatione nominum XI. ex pluribus litteris nominis tetragrammati JEHOVAH fabricatorum de quo Jansenius. Nam primò licet fortè essent hodie hæc in re scrupulosi Judæi (quod me latet) an fuerint tunc non constat: imò constat contrarium ex Scripturâ ipsâ ubi nomina Jehu, Jehus, Jehuel, Johanna, Jechonias & alia similia ex iisdem litteris fabricata non

minus ac Ioaehim videmus retenta. Nec apparet cur D. Lucas qui non erat Iudæus hanc consuetudinem tam scrupulosè curasset cum tantâ obscuratone genealogiæ.

XII. Tertio sit ita, fuerit & sit usitatum apud Iudæos quod dicit Iansenius, ut non temerè tali nomine idest composito ex tribus vel quatuor litteris nominis tetragrammati IEHOVAH à quoquam quis nominaretur præsertim in familiaribus & quotidianis colloquiis. Cur hoc quod dicit Iansenius de familiaribus & quotidianis colloquiis extendit ad Scripturam & ad Genealogiam per nomen maximè proprium edendam? quo casu si vetitum fuisset aliquem sub tali nomine proferre, certissimè nunquam licitum fuisset: immo imponere tale nomen, quo nequidem scribendo genealogiam uti licuisset, majus nefas fuisset.

XIII. Quarto, idem significant quantum voluerint Heli, Heliachim & Ioaehim idem etiam significant Theodorus & Dororheus, Ionas & Ioannes, Eleazar & Elizer, & sexcenta alia, non tamen pro eodem promiscuè supponuntur & usurpantur, aut bene unum pro alio substituere. Unde si v. c. Theodorum velis, & Dororheum voces, an Theodorus intelliget & respondebit?

XIV. Ultimo efficacissimè adhuc refutatur hæc sententia ex duobus magnis absurdis quæ ex illa sequuntur: Primum est quod ex illa sequeretur Matthæum non describere veros Progenitores Christi secundum carnem, sed tantum D. Iosephi; hoc autem est evidenter falsum, cum Matthæus suæ Genealogiæ expressè præfigat titulum istum *Liber Generationis Iesu Christi Filii David, Filii Abraham*: sequela probatur, quia non potest Christus secundum carnem ex Davide descendere per duas lineas diversas, scilicet lineam Salomonis & lineam Nathan, ut constat; ergo si Lucas carnalem prosequitur Christi ortum ex Davide, impossibile est ut Matthæus qui aliam lineam prosequitur eundem Christi ortum verè attingat.

XV. Secundum absurdum, quia sequeretur quod Beata Virgo Deipara nubens D. Iosepho fecisset contra legem, quod

nefas est cogitare. Nam ex lege Numer. cap. ult. filia quæ paternorum erat hæres bonorum, non poterat nubere nisi uni ex cognatione suâ, ne scilicet hæreditates confunderentur & transfirent ab unâ Tribu ad aliam Tribum, vel ab unâ familiâ Tribus ad aliam familiam. Atqui Beata Virgo utpote proles unica Ioaehim & Annæ, hæres fuit illorum in solidum, ergò secundum legem illam nubens, debuit nubere uni è cognatione & propinquis suis, quod certè minimè fecisset, si hæc sententia vera esset, quia certum est cognationem seu consanguinitatem non ita se extendere ut potuerint esse cognati Ioseph & Maria in hæc sententiâ: quod ut manifestum fiat.

XVI. Nota ad dignoscendam consanguinitatem, & quomodo duæ personæ ab eodem profuentes stipite se attingant, quod quando duo consanguinei in lineis collateralibus constituti inæqualiter distant à primo & communi stipite, eo gradu distant inter se collaterales isti, quoto distat ab eodem communi stipite, illa quæ est ab hoc remotior. Quæ regula est omnium Theologorum in 4. distinct. 40. & 3. part. quæst. 34. & Canonistarum in c. fin. de Consanguinitate: ideo autem remotior gradus trahit propinquiorem, non è contra, quia cum adæquata ratio propinquitatis aut distantie consanguineorum collateralium inter se, sit per ordinem ad primum cõmuncemque stipitem à quo profluunt, & in quo incipit illorum unio seu conjunctio, non possunt esse conjunctiores inter se quàm sint cum illo stipite. Ergò si collateralium unus sit in quarto gradu: v. g. cum illo stipite alter autem in primo vel secundo erunt illi duo collaterales solum cõsanguinei inter se in 4.º gradu: alioqui si gradus stipiti propinquior traheret ad se remotiorem: fieret primò ut hi collaterales essent conjunctiores inter se quàm sint cum stipite, cum istorum collateralium alter sit in quarto tantum gradu cum dicto stipite ut supposuimus. Fieret secundo ut qui in lineâ collateralis A esset quarto gradu remotus à stipite, collatus cum alio, qui est in aliâ lineâ collateralis B, propinquus stipiti in secundo gradu, esset illi æquè conjunctus ac ille

ac ille qui in eadem sua lineâ A est etiã in secundo gradu, quæ omnia sunt absurdissima, ut patet.

XVII. Ergo secundum hanc ab omnibus receptam Regulam, cum Beatissima Virgo ex suppositione hujus, quam hic impugnamus, sententiæ, filia Heli sive Joachim in lineâ Lucæ distet à Davide ipsius & Divi Iosephi communi stipite quadraginta tribus gradibus, ut patet ex dictâ suâ lineâ totidem distabit à Beato Iosepho in aliâ lineâ Marthæi in vigesimo septimo, vel vigesimo octavo gradu à Davide constituto, atque sic nullo modo fuissent cognati: non enim sufficit ad consanguinitatem de quâ hic agimus & de quâ intelligitur lex illa *numeror. c. ultim.* stipes communis, quantum vis remotus, alioquin omnes homines ab Adamo originem ducentes fuissent inter se sufficienter cognati ad effectum istius legis, quod falsum est: Quare omninò necesse est hunc communem stipitem esse propinquum eâ propinquitate, quæ cum sit modò major, modò minor, excludit tamen eam ab illo stipite distantiam, ad quam cum perventum fuerit nulla esse inter sic distantes consanguinitas ab omnibus existimatur; qualis ab omnibus æstimaretur hæc distantia quadraginta trium graduum quæ reperiretur in hoc casu inter B. Virginem & D. Iosephum.

XVIII. Unde consequenter iterum hæc sententia ex eo rejicienda est quod eandem difficultatem patiat, quam pati primam ostendimus hic supra num. 4. ut respondeat ad primum argumentum contra hanc Genealogiam propositum & solum capite præcedenti: vide dicta ibi hoc est n. 4. præcedenti.

XIX. Per quæ etiam satisficit quartæ Responsioni ad hoc argumentum, quæ est P. Ioannis à Carthagna, tom. 4. de Arcan. Deip. & Iosephi, lib. 18. homil. ult. ubi dicit Matthæum referre Progenitores D. Iosephi, Lucam verò B. Virginis & Christi Domini, in quo convenit cum præcedenti responsione, sed in hoc discrepat quod dicat Heli apud Lucam fuisse tantum Proavum Beatæ Virginis, sic quod iste Heli genuerit Pantherem, Panther verò Bar-Pantherem, denique hic Bar-Panther Joachim Patrem Beatæ Virginis, co-

quæ præcedenti Responsione absurdior quod non appareat ratio cur Lucas describendo Genealogiam B. Virginis sive Christi Domini, præterisset illas tres generationes, à quibus primò descendebant, & B. Virgo & Christus, & primò pendebat notitia descensus illorum qui assumebatur notificandus à Luca per suam Genealogiam.

Quinta responsio est unum Evangelistarum Paternam D. Iosephi seriem profsequi, alterum maternam: hanc lego apud Divum Augustinum, lib. 2. quæst. Evangelicar. quæst. 5. ubi inquirens S. Doctor, quomodò possit esse verum quod dicit Matthæus, Jacob autem genuit Ioseph Virum Mariæ, &c. & quod dicit Lucas Iesus putabatur filius Ioseph qui fuit Heli sic responder, *Et mihi quidem in presenti tres cause occurrunt, quarum aliquam Evangelista sequutus sit: Aut enim unus erat Iosephi naturalis Pater & alter eum adoptaverat. Aut more Iudaorum cum sine filiis unus decessisset, uxorem ejus propinquus accipiens filium quem genuit propinquo mortuo deputavit, ut cum ab altero alteri genitus esset Ioseph, convenienter duos Patres habere diceretur: aut unus Evangelista Patrem ejus à quo genitus est nominavit, alter verò Avum maternum, &c. ut inde jam usque ad David non eundem Lucas quem Matthæus Generationis ordinem texeret. Quam ultimam viam (quæ ea est quam in hac Responsione tangimus) magis approbat ibidem D. Augustinus quàm secundam dicens: In quibus causis illa videtur infima quam secundo loco posuimus: quia cum quisque apud Iudeos functo fratre vel propinquo prolem de uxore ejus exsuscitat, illud quod nascitur nomē defuncti solet accipere.*

Sed ad hanc sententiam respondeo primò, Divus Augustinus nihil definit, sed sub disjunctione loquitur ut patet, quare cum in hac non figat pedem, nec nos figere debemus. Respondeo secundò D. Augustinum postea re maturius examinatâ hanc viam omninò deseruisse, & quod hic cõtra secundam viam dixerat retractasse, l. 2. retract. c. 12. Respondeo tertio cum apud Iudeos non esset mos Genealogias virorum texere per mulieres, nec ulla apud eos esset cura originis maternæ, quorsum quæso Lucas

Synopsis

Magnabit

D.

Iosephi

RV
111

Lucas se fatigasset D. Iosephi seriem maternam longius multoque operosius prosequendo quam Matthæus fecerat Paternam? Propter hanc rationem nullus quod sciam hanc viam, ab ipso authore suo D. Augustino ex hac etiam sine dubio causâ relictam, postea sequutus est.

SECTIO II.

Proponuntur aliæ Responsiones & rejiciuntur.

- I. **A**ntequam ad illas progrediamur observandum quatuor potissimum modis aliquem dici alterius Patrem. Primò *Generatione*, qui scilicet filium ex substantiâ suâ genuit. Secundò *Adoptione*, qui non naturâ genuit filium, sed ab alio genitum suâ voluntate adscivit & fecit filium. Tertiò *Affinitate*, quæ fit mediante matrimonii vinculo per quod efficitur quis Pater illius qui nupsit filio suo, vel filiæ, quomodo quis potest etiam contra voluntatem suam esse Pater. Quartò denique *Legali Substitutione*, qui modus fuit proprius & particularis Genti Judæorum: Nam ex lege Deuteronomii cap. 25. Viro sine liberis vitâ functo, primogenitum ab ipsius fratre seu propinquo suscitatum in uxore demortui, quam ducere tenebatur, lex defuncto substituerebat, ita quod hic non generantis filius diceretur, nec ejus hæreditatem adiret ita genitus, sed defuncti: his positis.
- II. Certum est fieri non posse ut Jacob & Heli sint D. Iosephi Patres primo modo: licet enim frequenter videamus ex eadem copulâ unius cum unâ ex eodemque semine geminum nasci factum, omnium tamen Physicorum unanimis est sententia impossibile esse naturaliter ut à duobus hominibus una proles producat, seu ut unius & ejusdem prolis sint duo Patres *generatione*, quâvis id in dubium revocare videatur Caramuel de Dictam. consc. Coroll. 27. num. 1369. absque fundamento.
- III. Nec obstat quod docent Villalobos in Summa tom. 1. diffic. 10. n. 12. Diana part. 4. tract. 3. resol. 31. & part. 7. tract. 11. resol. 35. & multi alii quod quando duo eandem carnaliter cognoverunt, si illa

pariat, nec omnibus ut par est consideratis possit determinatè dici proles potius esse hujus quam illius, utrumque in jure haberi pro patre istius prolis, & teneri utrumque ad alimentâ pro rata istius proli ministrandâ: nō enim id ideò dicunt quod in hoc casu uterque verè sit aut possit esse Pater istius prolis; sed cum uterque rem habuerit cum Matre, dum non constat prolem esse unius & non alterius, possessio juris petendi alimentâ est in prole genitâ contra utrumque; ratio est quod certum sit & indubitatum jus prolis ad alimentâ petenda ab eo qui se genuit: Cum ergo constet utrumque coivisse cum Matre, incertum autem ex cujus semine sit proles, hæc rejicit in utrumque onus probandi ipsam non ex se esse, quod cum neuter possit in nostrâ hypothesi, manet proles in suo jure certo, seu possessione contra utrumque dubitantem.

Sed licet hoc verissimum sit utrumque, idest Jacob apud Matthæum, & Heli apud Lucam non posse esse Divi Iosephi Patres *generatione*, apparet tamen, satis ex notando nostro, non inde sequi quod obijciunt adversarii, Evangelistas scilicet pugnare inter se, cum possit uterque esse illius Pater aliâ & aliâ ratione, scilicet unus *generatione*, & alter uno ex aliis tribus modis, nimirum vel adoptione, vel affinitate, vel legali substitutione.

Ex quibus facile est colligere contra dicentium malitiam; etenim cum unicus esset sensus in quo non poterant conciliari nostri Evangelistæ, si nimirum uterque Pater ab illis recensitus diceretur Pater *generatione*, essent autem multi alii modi in quo facile possent, volunt in eo sensu locutus, in quo solo non possunt convenire, & noluerunt ullo modo advertere ad alios modos in quibus poterant, ut possent contradicere: non erubescerent tam palam vim facere veritati: maxime verò quod & hoc ipsum evidentissimè colligere poterant ex phrasi diversâ seu modo loquendi alio & alio quo usus est uterque Evangelista. Etenim Matthæus verbo *genuit* usus est, dicens: *Jacob autem genuit Ioseph virum Mariæ*, quod significat patrem per generationem: Lucas verò dicit, *Jesus putabatur filius Ioseph qui fuit Heli*. Quod sufficienter

sufficienter verificatur v. c. per legalem substitutionem.

VI. Hinc D. Augustinus lib. 2. de Con-
sens. Evang. cap. 3. *Cum necesse sit, in-*
quit, utroque Evangelista vera narrante,
ut unus eorum ejus Patris originem tene-
ret, qui genuerat, alter ejus qui adopta-
verat Joseph, quem probabiliter intelli-
mus adoptantis originem tenuisse, quam
eum qui noluit Joseph genitum dicere ab
illo cujus eum filium esse narrabat? Com-
modius enim filius ejus dictus est à quo
fuera adoptatus, quam diceretur ab illo
genitus, cujus carne non erat natus. Mat-
thæus autem dicens Abraham genuit Isaac,
Isaac autem genuit Jacob, atque ita in hoc
verbo, quod est genuit perseverans, donec
in ultimo diceret Jacob autem genuit Jo-
seph, satis expressit ad eum Patrem se
perduxisse originem generantium à quo
Joseph non adoptatus sed genitus erat.

VII. Et licet idem Augustinus ibidem
subjungat, quod etsi Lucas eodem ver-
bo genuit quo Matthæus usus fuisset,
adhuc nihilominus possent conciliari
dicendo unum naturam genuisse, alte-
rum charitate quod est adoptare, con-
tinuo tamen addit, *Sed plane si hoc ver-*
bo etiam Lucas uteretur, omnimodo esset
ambiguum quis eorum adoptantem, quis
ex propria carne genentem commemoras-
set. Nunc vero cum alter dicit Jacob ge-
nuit Joseph, alter Joseph qui fuit Heli, etiam
ipsa verborum differentia quid singuli sus-
cepissent eleganter intinaverunt: Sed hoc
facile sanè, ut dixi posset occurrere homini
Religioso, qui quodlibet aliud querendum
potius judicaret, quam Evangelistam esse
mentitum, facile, inquam, occurreret ut
videret quibus casibus unus homo duos Pa-
tres habere potuerit, hoc ex illis calumniosis
occurreret, nisi litigare quam considerare
maluissent. Hæc D. Augustinus.

VIII. Dices illud qui fuit Heli, apud Lu-
cam in eadem significatione debet ac-
cipi in qua accipitur qui fuit Mathat,
& sic de cæteris omnibus sursum Pro-
genitoribus: Atqui in his qui fuit ac-
cipitur semper in hac significatione, ut
significet qui fuit filius generatione,
non autem pro qui fuit filius legali
substitutione, ergo & illud qui fuit Heli,
eur quidem qui fuit septuagies quin-
quies repetitum, semel tantum scilicet
in D. Josepho, deberet accipi in

aliâ significatione, quam in septuaginta
quatuor aliis vicibus?

Respondeo tamen, primò negando
majorem & minorem objectionis, nam
de Salathiele apud Lucam dicitur, qui
fuit Neri: & apud Matthæum dicitur
genitus à Jechoniâ, ergo & in Salathiele
to qui fuit accipitur aliter quam in aliis
illius Genealogiæ Lucæ recensitis Pro-
genitoribus: quare recurendum sicut
in casu Divi Josephi, ad distinctionem
Augustinianam, & dicendum Sala-
thielem habuisse duos Patres unum
naturalem apud Matthæum, legalem
alterum apud Lucam: verum cum non
constet eundem esse utrobique Salathie-
lem, hæc solutio non plenè satisfacit.

Quare Respondeo secundò, negan-
do iterum utramque objectionis pro-
positionem majorem & minorem, quia
ad summum istius Genealogiæ D. Lu-
cæ apicem, utitur etiam Lucas eadem
dictione qui fuit quomodo in cæteris
omnibus infernè descriptis, dicens de
Adam qui fuit Dei: constat autè Adam
non fuisse Dei, quomodo Seth fuit Adæ,
quomodo Henos fuit Seth, & sic de cæ-
teris. Adam enim non procedit à Deo,
ut Seth ab Adam per generationem, sed
per creationem, & ideo Adam non si-
milis Deo in naturâ sicut Seth Adæ.

Igitur to qui fuit per totam Lucæ
Genealogiam, sumitur prout significat
unum hominem pertinere ad alium,
seu esse alterius in eâ ratione quæ con-
ferat ad deducendam ejus originem:
sufficit autem ad hoc ut vel titulo crea-
tionis qualiter Adam respectu Dei, vel
titulo generalionis, qualiter Seth respec-
tu Adæ, & alii deorsum in istâ Genea-
logiâ Lucæ, vel titulo substitutionis le-
galis ut Joseph respectu Heli, quis alte-
rius esse dignoscatur.

Sed cum ex notando nostro hic n. i.
quatuor modis possit quis dici Pater al-
terius scilicet generatione, adoptione,
affinitate, substitutione, queritur cum
satis appareat ex modo loquendi Mat-
thæi Jacob esse Patrem D. Josephi gene-
ratione, quo pacto Heli qui apud Lucam
fuerit etiam ejus Pater, an adoptione? an
verò affinitate aut legali substitutione?

Volunt aliqui Heli apud Lucam fuisse
se Patrem ejus adoptione. Nituntur
authoritate D. Augustini lib. 3. contra

Fautum

Synopsis

Magnum
D.
Josephus
RV
an

Faustum Manichæum cap. 3. ubi sic D. Augustinus. Tota in hoc quæstio est quomodo potuerit duos Patres habere Ioseph: hoc enim si potuisset fieri demonstratur, nulla omnino causa est cur quisquam istorum Evangelistarum in diversis generationibus enumerandis falsum dixisse credatur: à duobus enim Patribus jam non erit mirum, neque contrarium quod & Avi duo & Atavi & Proavi esse potuerunt, & quidquid supra est usque ad David cuius erant ambo filii & Salomon qui pertinet ad ordinem quem Mattheus secutus est, & Nathan qui est in serie quam Lucas exposuit. Attendunt enim ista nonnulli & vident non posse à duobus viris per commixtionem carnis hominem gigni, & idèo putant istam quæstionem non posse dissolvi, nec intuentur quod usitatissimum atque facillimum est, Patrem cuiusquam non eum tantum dici à quo genitus, sed etiam à quo fuerit adoptatus, &c.

XIV. Confirmant ex eodem D. Augustino, lib. 2. quæstion. Evangelicarum quæst. 5. ubi ad propositam difficultatem, ita respondet: *Mihi quidem in præsentibus tres causæ occurrunt, quarum aliquam Evangelista secutus sit: Aut enim unus erat Ioseph naturalis Pater, & alter eum adoptaverat, aut more Iudeorum cum sine filiis unus decessisset uxorem eius propinquus accipiens filium quem genuit propinquo mortuo deputavit: ut cum ab altero alteri genitus esset Ioseph, convenienter duos Patres habere diceretur. Aut unus Evangelista patrem eius, à quo genitus est nominavit, alter Avum Maternum, &c. ut inde iam usque ad David non eundem Lucas quem Mattheus generationum ordinem texeret. In quibus causis illa videtur infima quam secundo loco posuimus, quia cum quisque apud Iudeos functo fratre vel propinquo prolem de eius uxore excuscat, illud quod nascitur nomen defuncti solet accipere. Ex quibus evidentiissime patet, inquirunt hi, D. Augustinum hanc viam scilicet adoptionis prætulisse legali substitutioni pro Conciliatione Evangelistarum.*

XV. Verum non adverterant hi D. Augustinum hanc suam sententiam postea re maturius examinata retractasse lib. 2. Retract. cap. 7. ubi sic loquitur. *In libro ergo tertio contra Faustum Manichæum, cum solverem quæstionem, quomo-*

do potuerit duos Patres habere Ioseph, dixi quod ex alio natus, ab alio fuerit adoptatus, sed genus quoque adoptionis dicere debui, sic enim sonat quod dixi tanquam eum virum adoptaverit alius Pater. Lex autem filios etiam mortuis adoptabat, iubens ut fratris sine liberis mortui duceret frater uxorem, & fratri defuncto semen ex ea suscitaret, quæ profecto de duobus unius hominis patribus expeditior ibi redditur ratio: Verum autem fratres fuerunt in quibus hoc contigit, ut unus defuncti qui vocabatur Heli duceret alter uxorem, idèst Iacob, à quo Mattheus narrat generatum esse Ioseph, sed uterino fratri suo cum genuit, cuius filium Lucas dicit fuisse Ioseph, non utique natum, sed ex lege adoptivum. Hoc in eorum litteris inventum est quirecenti memoriâ post Ascensionem Domini de hac re scripserunt. Nam etiam nomen ejusdem mulieris quæ peperit Iacob Patrem Ioseph de priore marito Nathan qui fuit Pater Iacob, Avus Ioseph secundum Mattheum, & de marito posteriore Melchi peperit Heli cuius erat adoptivus Ioseph non tacuit Africanus. Quod quidem cum Fausto responderem, nondum legeram, sed tamen per adoptionem potuisse contingere ut unus homo duos haberet patres dubitare non poteram. Hæc D. Augustinus. Quare cum à tanto Doctore aliquando amplexata sententia, ab eo postea repudiata sit, à nobis etiam repudianda est.

XVI. Accedit quod adoptio ista non videtur habuisse locum apud Hebræos maximè post legem scriptam factâ tunc distributione tribuum, fortium, & hæreditatum: Nam nec ulla extat de potestate vel modo adoptandi lex, cum tamen in aliis materiis referantur multe, quarum plures non videntur tam relatu dignæ ac hæc si extaret. Imò cum finis & effectus Adoptionis primarius sit ut adoptans habeat suorum bonorum hæredem, & ut adoptatus in illis succedat loco filii Patri adoptanti; videntur aliæ leges Dei huic adoptioni repugnasse illa præcipuè quæ habetur Numeror. cap. 27. num. 8. 10. & 11. quæ talis est. *Flomo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hæreditas, si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos, quod si & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris eius, si autem nec paternos habuerit, dabitur*

dabitur hereditas his qui ei proximi sunt, eritq; hoc filius israel sanctum lege perpetua. Ex qua lege evidenter patet quod debebatur hereditas proli ex lege Dei si prolem habebat, proximiori si non habebat, ita ut aliter de hereditate sua disponere minimè posset, ac sic nullus poterat esse adoptioni locus.

XVII. Deinde quia illud *qui fuit Heli*, ita debet accipi ut significet D. Iosephum esse illius Heli in eà ratione quæ aptè conferat & prudenti iudicio sufficiens sit ad genealogiam, cum hanc rem agat Lucas. Sed adoptio Legis Civilis non videretur habere rationem quæ aptè conferat & prudenti iudicio sufficiens dici possit ad deducendam tam operose Genealogiam, quantam deduxit Lucas ab iplo usque ad ipsum Deum. Ergo, &c.

XVIII. Quare respondent alii unum fuisse Patrem Divi Iosephi generatione, alterum affinitate: & quidem Arias Montanus censet Matthæum recensere Socerum eius seu Patrem Beatæ Virginis, Lucam verò eius Patrem naturalem: Nec obstat verbum *genuit*, quo utitur Matthæus dicens: *Jacob autem genuit Ioseph Virum Mariæ*, quod propriè significat generationem. Nam ut ait D. Augustinus lib. de Consens. Evangelist. *Non absurdè quisq; dicitur non carne, sed charitate genuisse quem sibi adoptavit.* Cum ergo Jacob tradendo filiam suam Beatam Virginem in matrimonium D. Iosepho eum adoptarit in filium suum, potest non absurdè Jacob dici illum genuisse, non carne, sed affectu & charitate: & ita rem se habere probat Arias ex hoc, quod si Jacob qui apud Matthæum dicitur genuisse Ioseph, non sit Pater Beatæ Virginis, & Socer tantùm D. Iosephi, non attigisset Matthæus scopum suum, qui ut ipse indigitat, est scribere librum Generationis Jesu-Christi, & ostendere illius descensum ex Abraham & Davide Rege. Atqui id non fecisset si in Patre naturali D. Iosephi, ex quo Christus non est, non verò in Patre Beatæ Virginis, à qua Christus est, descensum terminasset.

XIX. Sed præterquam quod hæc opinio valdè particularis est, ruit ex hoc, quod asserat Jacob qui apud Matthæum dici-

tur genuisse Ioseph, esse Patrem Beatæ Virginis, quia nec id habet Arias ex Scripturâ, & aliundè constat ex Sanctis Patribus & Ecclesiæ Traditione fuisse Sanctum Ioachim. Contra quod nihil valet replicare Ioachimum fuisse binominem, hoc enim & arbitrariè dicitur ac sine probatione, & convincitur nulla esse hujus asseri verisimilitudo ex eo quod Ecclesia in suis libris, Martyrologio, Breviario, & Calendariis, Patri Beatæ Virginis, non nomen Jacob, quod ex suppositione hujus sententiæ habuisset certo ex Evangelio, adscripserit, sed semper nomen Ioachim.

Quoad illud quo se munit ex D. Augustino Montanus, quod scilicet non absurdè quis dicitur charitate genuisse, quem sibi adoptavit, ideoque posse dici quod Jacob genuerit Ioseph ex eo quod ipsum adoptarit in Generum tradendo ei filiam suam in uxorem. Respondeo, etsi concederemus Jacob & Ioachim fuisse unum & eundem, non constat eum fuisse in vivis quando filia ejus Beatissima Virgo nupsit D. Iosepho: imò contrarium est verius, & ab omnibus fidelibus communiter receptum, nec unquam aliud probabit Montanus, non igitur potuit illum charitate genuisse, seu adoptasse in Generum tradendo ei filiam suam in uxorem. Secundò non advertit Montanus ad ea quæ statim post verba ab eo pro se citata subjungit D. Augustinus hoc modo. *Sed planè si hoc verbo genuit etiam Lucas uteretur, omnimodo esset ambiguum quis ex propria carne genuentem Patrem commemorasset. Nunc verò cum alter dicit Jacob genuit Ioseph, alter Ioseph qui fuit Heli, etiam ipsa verborum differentià quid singuli suscepissent eleganter intimaverunt.* Tertiò, quia nulla est necessitas ita detorquendi Scripturam: Atqui communis est & receptissima SS. Patrum, Theologorum & Ecclesiæ regula Scripturam debere accipi semper in proprio sensu, id est, illo quem verba ex sua primà institutione significant, nisi aliter sumi necessitas & ratio cogat, quæ hic non reperitur: Quod enim dicit Montanus aliàs futurum ut Matthæus non attigerit scopum quem sibi proposuerat edendi scilicet Christi

Synopsis

Magnalium
D.
Iosephi
RV
an

Genealogiam, contrarium patet ex dictis cap. precedenti, ubi illud argumentum proposuimus & solvimus. Ergo Iacob verè & propriè genuit Ioseph virum Mariæ de quâ natus est Iesus, & consequenter non est Pater Mariæ Virginis

XXI. Igitur his opinionibus demissis quæ etiam exoleverunt, restant nunc solum duæ valdè celebres: quarum prima est præcedenti è diametro opposita & asserit D. Matthæum referre Divi Iosephi Patrem generatione & cæteros eius Progenitores, Lucam verò Patrem Beatæ Virginis conjugis sive Avum Christi, scilicet Heli alio nomine dictum Joachim, & cæteros utriusque Progenitores. Altera quæ asserit unum Evangelistarum referre Patrem Iosephi generatione alterum eum qui ejus Pater est legali substitutione. De quibus in sequentibus.

CAPUT V.

Examinatur prima ex his duabus opinionibus, an scilicet D. Matthæus referat D. Iosephi Patrem & Progenitores generatione, & Lucas Patrem B. Virginis.

I.



FIRMATIVE docuerunt primi omnium Joannes Lucidus de Emendat. Tempor. c. 1. & Annæus in Comment. Philon qui floruerunt circa annum 1550. quam opinionem tanti facit Barradius è Societate Jesu tom. 1. in Evangel. lib. 5. c. 30. ut dicat Sanctos Patres si viverent hanc hujus difficultatis diluendæ rationem & viam inituros. Lucidius & Annæus secuti sunt Galatinus lib. 7. de Arcan. Cathol. verit. c. 12. Driedo lib. 3. de variis Dogmat. c. 5. p. 4. Suarez tom. 2. in 3. p. D. Thomæ ditp. 2. sect. 3. §. dico tertio, Jansenius Gandav. in concord. c. 14. Didacus Stella & Cornelius à Lapide in c. 3. Lucæ. Barradius ubi supra, qui etiam asserit eam quam sequenti capite afferimus esse verisimilem.

II. Pro hac citantur etiam à nonnullis

S. Augustinus l. 2. quæst. Evangelicar. quæst. 9. & lib. 2. de Consens. Evangelist. c. 2. & 3. Author libri de ortu B. Virg. falsò D. Hieronymo adscripti, Dionysius Carthusianus, & Card. Caietan. in c. 3. Luc. Sotus in 4. distinct. 30. quæst. 2. art. 1. Canus lib. 11. de Locis Theologic. c. 5. & Canisius lib. 1. de Decip. Virg. c. 3. sed falsò. Nam quoad D. Augustinum & Authorem libri de ortu B. Virginis in locis citatis, ne verbum quidem habent de illâ sententiâ, quod etiam fatetur P. Suarez loco citato. Quoad Dyonis. Carthuf. non hanc sed sequentem expressissimè docet, tam in cap. 1. Matth. quam in cap. 3. Lucæ. Ubi utriusque Genealogiam explicat maximè vero ultimo loco art. 9. ad illa verba *qui fuit Heli*. Quoad Caietanum eam quidem Sententiam ex aliis refert, sed tantùm abest ut illam sequatur, quin potius innuit se de ejus veritate dubitare, nec posse illi adherere, dum addit, *Et hac opinio si constaret amplectenda esset, &c.* Quoad Sotum nihil de hac re habet, sed solum ait Beatissimam Virginem esse ex Patre de Judâ, & Matre de Tribu Levi. Quoad Canum & Canisium non eam tenent, sed ab aliquibus teneri asserunt: ut proindè certissimum sit vel ante præfatos Lucidum & Annæum ullum esse qui hanc sententiam tenuerit, nec post illos nisi paucissimos.

III.

Hæc sententia à suis autoribus ingeniosè fateor inventa est, tum ad solvendam præsentem difficultatem de discrepantiâ Evangelistarum Matthæi & Lucæ inter se quoad punctum Genealogiæ, tum præcedentem c. 3. propositam de impertinentiâ utriusque in eâ subducendâ. Cùm enim viderent hi illam quæ à Matthæo descripta est, non ad Christum de quo tamen erat sermo, sed ad D. Iosephum, ex quo constat non esse Christum, terminari; ac propterea crederent, per eam nullo modo posse probari Christum ex Abrahamo & Davide Rege ortum ducere: interim verò fieri non posse ut uterque Evangelista in puncto tanti momenti tamque necessario, quale est hoc, defuerit; existimantur omnia fore facilia dicendo D. Lucam hoc egisse, & Christi Domini Genealogiam persequisse,